

rebelles sunt (omnes enim minime cicurari possunt pisces) sed si in terram extrahantur, viribus pene omnibus destituuntur, palpitant, et cito extinguuntur: ita mundi sectatores dum vivunt, audaces, presumptuosi, exleges, et indomiti sunt, ast ubi lethali aliquo morbo capti, e mundo ejusque voluptatibus extrahi se sentiunt, tum hæret illis aqua, tum concidere animo, horrere et tremere legesque acceptare incipiunt. Mementote illius piscis qui in Tigri adhuc natans, aperto ore quasi devoraturus Tobiam invadebat, Tob. VI. quem fugiens Tobias ad comitem suum: *Domine, inquit, invadit me.* Verum postquam piscis ille comitis hortatu brachiis apprehensus et in sicco tractus est a Tobia, cœpit palpitare ante pedes ejus. Tales sunt in mundo plurimi, qui dum bene valent, omnibus infesti sunt, omnes devorare volunt nullasque leges curant. Verum, ubi mortis angustiis occupati extrahuntur ex hac vita in alteram, tum incipiunt palpitare ante penes Dei, inducias postulare, veniam rogare, preces aliorum implorare, etc. Hoc videtur voluisse David cum Ps. IX. ait: *Constitu. Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt,* quasi diceret: Nesciunt isti homines tumidi et feroces, esse se homines ab humo scilicet dictos, et natos (Hebraice habetur enos, id est, ærumnosos et infirmos) itaque constituere super eos legislatorem (Chaldaice habetur, incute eis terrorem) quasi diceret: Doma eos timore mortis veluti gravi infirmitate. Sic domuis Deus Antiochum, qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia elatus et montium altitudines in statera appendens, etc. Huic feroci pisci incussit Deus terrorem grandem, scilicet infirmitatem, tantum viscerum dolorem, ut de corpore ejus vermes prodirent carnis diffluentibus, fœtorque intolerabilis, et tum demum agnovit se mortalem, dicens: *Justum est subditum esse Deo, et mortalem Deo non paria assentire,* cœpitque implorare Dei et Judæorum opem, quos antea affixerat, lamentari sortem suam, etc. II. Macch. IX. Ita Alexander M. orbis vastator credens se immortalem, ad extremum, didicit in lectum et cognovit quia, moreretur, I. Macchab. I. Ita Nantius comes Engolismensis, ut refert S. Gregor. Turon. lib. V. hist. Franc. cap. XXXVI. qui cum in sancta loca Deique ministros mala multa patrasset, a morbo correptus et nimia exustus febre, clamabit dicens: *Heu! heu! ab Heraclio antislite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor, cognosco facinus, reminiscor injuste injurias me intulisse pontifici, mortem deprecor ne diutius crucier hos tormento.* » Hæc clamans infelicem ani-

mam fudit et corpus exanime nigerrimum, quasi ustulatum fuisset, reliquit. Hæc fere Greg.

VI. Pisces cauda sua, quasi clavo et temone regunt natatum, indeque didicerunt homines naves gubernare. Sic homines viæ suæ cursum dirigere deberent meditatione mortis et novissimorum; quo pacto non facile impigerent, aut a via salutis aberrarent. Quare non frustra Deus, Exod. XXIX, jussit sibi una cum adipe arietis adoleri caudam ejus. Voluit enim per hoc monere, ut omnes nostras delicias, et cupedias, delectationes et actiones moderemus et temperemus meditatione mortis. Nec frustra præcepit Moysi, IV. Exod. IX. ut serpentem cauda apprehenderet, hoc enim facto, serpens mutatus est in virgam, qua deinde Moyses mirabilia patravit, et Pharaonem domuit, Serpens hic peccatum denotat, caput ejus suggestio est, cauda vero mors. Serpentem cauda arripimus, cum mortis meditationi incumbimus, quæ nobis meditatio plurima commoda afferet et diabolus expugnabit.

VII. Pisces norunt sua loca et tempora ad excludendos fœtus aliasque suas functiones idonea. Nam æstate ex variis maris sinibus confluent ad mare aquilonare pontum scilicet Euxinum, quod aqua ejus dulcis sit pariendæ et nutriendæ proli apta: mox tamen hieme adventante rursum agmine facto domum se recipiunt eo quod pontus ille hieme frigidior sit, quam ut ferri ab ipsis queat. S. Basilius, hom. VII. in hexam. scribit se hoc vidisse. Rursum Aristotele auctore, lib. II. de animalib. XII. *Pisces per hiemem ex alto in littore, teporis gratia veniunt: contra æstate ex littore in altum, vivantes æstum discedunt.* Norunt ergo pisces fugere frigus et æstum, et eligere sibi loca commoda; et nesciat aut nolit facere hoc homo? Profecto horrendum stagnum minatur Deus improbis, Apocal. XXI. *Timidis, inquit Joannes, et incrudelis e execratis* (id est execranda patrantibus) *et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idolatris et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagna ardente igne et sulphure: et rursum, c. XX. dicitur: Qui non invenius est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* In illo igitur stagno, quod ex sulphure undique eo confluente incenditur, et ardebit velut liquidum metallum, natabunt miseri pisces, et alii quidem toti immersi erunt, ut nec clamare queant, velut graviore peccatores: alii capite extabunt, veluti minores, qui clamare poterunt, sed quorum tamen clamores erunt lamentabiles. Maledicent enim et excrabuntur. Primo, seipsos, quod sibi causa fuerint tantorum suppliciorum; deinde, Deum quoque quod ab ipso conditi; postea, patientes, quod ab ipsis geniti; tum, malignos spi-

ritus, quod ab ipsis seducti; post hæc, socios suos, quod ab ipsis allecti; denique, creaturas omnes, quod ab ipsis quoque modo ad peccandum adjuti sint. Et erit igitur aliquis qui non fugiat hoc stagnum? Quis quæso non fugit incendium cum domus incipit cremari? Audite exemplum. « In Arles (provincia civitum hoc nomine appellant) quemdam Joannem Berle fuisse accepimus, (scribit P. Lud. Richeomus, in valedictione animæ, coll. V.) qui cum admodum longo tempore a medicis deploratus, lecto affixus, ex paralyti jacuisset, quadam die in domo sua ignem conspiciatus fuit. Qui cum jam tabulatum cubiculi sui lamberet ac popularetur, repente ille horrore perfusus, et jam mortem sibi instantem animo inprimens, ita spiritus animales percussit nervorumque contractorum nodos abruptit, confestim ut lecto exilierit, et fenestra forte fortuna prehensa animose per eam saltu se ejeceret, velut metu ac terrore persequente et ignem et paralytin diuturnam effugerit. » Quid faciat igitur unusquisque ut gehennam effugiat? Quis non vincula peccatorum, pravorum suorum habituum omniumque impedimentorum fortiter abruptat? Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? inquit Isaias, cap. XXXIII.

CONCIO III.

CUR ELEGERIT CHRISTUS HOMINES SIMPLICES, ABJECTOS ET PAUPERES IN APOSTOLOS.

I. Ut appareret mundi conversionem a Deo venire. — II. Ut mundi fastus confunderetur. — III. Ut persuaderetur mundo doctrina evangelica. — IV. Ut pateret neminem a Deo repudiari. — V. Ut apostoli et sequaces in humilitate continerentur. — VI. Ne in electionibus haberetur ratio fortunæ, sanguinis, etc. — VII. Ut ostenderet munus apostolicum esse laboriosum.

THEMA.

Erant enim pisces. Matth. IV.

Mirum multis videtur, quamobrem elegerit Christus pisces et horum similes, abjectos, pauperes, in apostolos suos. Cum enim mundus tria illa potissimum mirari et colere soleat, sapientiam, potentiam, nobilitatem, aversetur autem simplicitatem, impotentiam, ignobilitatem; quid est, quod non elegit tales, qui mundo placituri essent? Blasphemus ille Julianus imperator more suo etiam in hoc carpere Christum ausus est, cum dixit, Christum ideo rudes et imptos elegisse pisces, ut facilius eis imponeret. Quam tamen execrandam blasphemiam, uti et alias quam plurimas in Christum vibratas, satis

superque revocavit, cum vibrata in desuper lancea exclamavit contra illum: *Vicisti Galilæe.* Quare nunc indegamus, quo consilio id fecerit Christus.

I. Ut appareret opus conversionis mundi non humanum, sed divinum esse; et sic Dei gloria amplificaretur. Sic I. Cor. I. dicitur: *Ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.* Itaque nova bella elegit Dominus, ut dicitur Judic. V. Emisit enim oves in lupos, ad capiendum illos; lepores in canes; pauperes in divites; impotentes in potentes; ignobiles in nobiles; rudes in doctos. In hujus rei figuram. Judic. VII. trecentos viros ignavissimos (si Theodoro credimus, q. xv. super XVI. Judic.) qui canis instar e Nilo, aquam lamberant, elegit Deus ad expugnandos Madianitas: *Ne gloriatur contra me Israel, ait Dominus, et dicat: Meis viribus liberatus sum.* Qui etiam pro armis non nisi tubis vacuis, et lagenis testeis usi sunt. Tanto magis excellentia artificis laudatur, quanto in ineptiaribus instrumentis res fabricat præclarissimas: velut qui calamo rudi et fracto scribit, quam in integro et idoneo; qui ex seipeto curvo bene jaculatur, quam qui ex recto: ita tanto magis claret Dei gloria in mundi conversione, quanto rudioribus apostolis ea facta est. Dixissent alioquin homines: Non mirum, si hoc effectum est, fuerunt enim legati sapientes, potentes, nobiles ad opus hoc adhibiti. Jam vero quis non miretur et prædicet Christi virtutem, cum per pisces cepit oratores? Hac de causa S. Paulus, II. Cor. VIII. apostolos vocat: *Gloria Christi.*

II. Ut mundi fastum et inflatam sapientiam confunderet. Hæc, etiam ratio affirmatur, I. Cor. I. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confendat fortia, et ignobilia et contemptibilia elegit Deus, et ea, quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret.* Quemadmodum in inflato aliqui discipulo, qui nihil non scire sibi videtur, opponit ludimagister aliquem multo juniorem, qui nuper primum scholam ingressus est, ut illius superbiam refundat: sic per pisces confundit Deus philosophos et oratores. Inflabant isti tubas suas, et vix paucos pertraxere ad sectas et scholas suas. Inflabant apostoli tibias suas pastorales, et orbem ad se traxere. Illi cum tanta eloquentia, et argumentandi peritia res tam plausibiles vix paucis persuadere; hi vero res difficillimas non difficile. Et hoc est, quod figurate indicabatur per maxillam asiini, qua fortissimus ille Samsen intendit mille viros, Judic. XV. teste D. Greg.

lib. XIII. moral. cap. VI. qui ait : *Samson maxillam asini tenui, et hostes peremit, quia redemptor noster simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitibus suis carnales interfecit.* Præscripserat jam olim Deus hominibus tabellam omni sapientia plenam mundi scilicet stupendam fabricam et gubernationem ; quia vero ex hac non cognoverant Deum, idcirco per homines rudes, et stultos coram mundo erudire eos voluit. Hoc est quod apostolus ait, 1. Cor. I. *Quia in Dei sapientia, non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Refert Sextus Julius, lib. IV. stratag. bellicosum quemdam, ducem cum nulla armorum vi Iresenses suo subjugare imperio posset, pactis cum hoste induciis, milites aliquot suos laceris induisse vestibus et intra vestes illas gladiis armasse, sicque ab hoste petisse, ut ægros saltem milites recipere in urbem vellet. Quo impetrato, misit pannosos illos milites, qui urbem ingressi prolatis armis in cives grassabantur, et ita suppetias ferentibus, qui urbem obsidebant, civitate sint potiti. Simili fere stratagemate usus etiam Christus est in expugnatione mundi : submisit enim viles, rudes, et imbelles apostolos, qui tamen gladium verbi Dei sub laceris suis palliolis reconditum gerebant, eoque prolato tantam edidit stragem, ut tandem mundus Christo cedere coactus sit.

III. Ut facilius persuadere mundo doctrinam evangelicam, quæ imprimis docet et commendat paupertatem, humilitatem et simplicitatem, et vitæ asperitatem. Quomodo autem divites persuaderent aliis paupertatem, nobiles et delicati humilitatem et vivendi asperitatem astuti simplicitatem ? Etenim *homines plus oculis quam auribus credunt, et longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla,* inquit Seneca, ad Lucilium. Patet id vel ex fabula illa de lupo et hædo. Cum enim supra pastum itura necdum domi conclusisset, monens ut nemini aperiret, donec ipsa rediret lupo qui id procul audierat, post matris discessum, pulsabat fores, voce caprisans et aperiri jubens. Hædus dolum præsentiens : *Non aperio,* inquit, *nam etsi vox caprisat, tamen ego per rimulam lupum video.* Ad eundem modum, non aperuisset mundus pulsantibus apostolis, si voce tantum caprisantes audisset, interim tamen lupos vidisset, quod etiam cæteris facit prædicatoribus, quorum mores a doctrina dissonant. Hæc etiam causa indicatur 1. Cor. I. cum enim dixisset apostolus, prædicari se crucem Christi, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, subdidit : *Videte enim vocationem vestram, fratres,*

quia non multi sapientes sunt, etc. sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, quasi diceret : Quia Deo placuit per stultitiam crucis superare et subdere sibi mundi sapientiam, idcirco etiam consimiles elegit prædicatorum, qui nimirum ob suam simplicitatem, paupertatem et vilitatem stulti coram mundo erant, et ab his mementote vos ad fidem conversos esse. Qui nescit plus valere testimonium duorum eandem veritatem contestantium, quam si unus affirmet et alter neget ? At si temulentus sobrietatem prædicet, fastuosos humilitatem suadeat, litigiosus pacem, etc. nonne unum testem adfert affirmantem, alterum negantem ? Asserit enim labiis, et negat factis.

IV. Ut ostenderet se neminem mortalium repudiare quantumvis rudem et vilem, quia non tam considerat quales simus, quam quales ipse nos efformare possit. Sicut artifex, ait S. Chrysost. hom. VII. operis imperf. si viderit gemmas pretiosas et non dolatas, eligit illas, non quod sint, sed quod fieri possint, habens enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit. Sic Dominus videns apostolos, non opera eorum elegit, sed corda, nec quasi apostolos elegit eos, sed quia apostoli poterant geri. » Transit aliquis hodie juxta ædes sculptoris, et videt ibi jacentes truncos rudes et nodosos ; transit forte post mensem, et videt eos formatos in statuas elegantes. Trunci prius erant apostoli, sed manu artificis supremi, brevi in statuas pulcherrimas sunt effecti. Proverb. XXVI. dicitur : *Sicut qui mittit lapidem in ædificium Mercurii,* hoc est, qui ponit lapidem pretiosum in statuam Mercurii, quæ ostenderet viam iter agentibus, *ita qui tribuit insipienti honorem,* quasi diceret : Male utrumque collocatur, quia dignitas aut honor non reddit quem sapientem aut idoneum, sed Christus poterat id facere ; unde rudes et ineptos potuit eligere in apostolos, et de facto elegit, qui aliis errantibus viam salutis ostenderent.

V. Ut partim apostolos, partim eorum successores, episcopos et prædicatorum in humilitate contineret. Cum enim periculosissimum sit munus episcoporum et concionatorum, tunc præsertim, quando bene et cum laude exercetur (semper enim adsunt, qui occinant illud : *Euge, euge*) ideo elegit tales in apostolos, qui præsentissimum haberent remedium humilitatis contra venenum vanæ gloriæ. Quando enim cogitabant quales olim fuerint, et quod non suis meritis, aut industria, sed Dei munere dignitatem illam consecuti sint, quomodo non dimittere flabellum cum pavone debebant ? Unde Aug. serm. LXI. verbi Domini ait : « Magna artificis misericordia.

Sciabat enim quod si eligeret senatorem, diceret senator : Dignitas mea electa est ; si eligeret divitem, diceret dives : Opulentia mea electa est ; si regem, diceret rex : Potestas mea ; si oratorem : Eloquentia mea ; si philosophum : Sapientia mea electa est, etc. Da mihi tu prius istum piscatorem, veni tu pauper : nihil habes, nihil nosti, sequere me. » Sic ille. Idem præservativum servit omnibus pontificibus et prælatis, qualescumque enim sint, piscatorum successores sunt, uti bene agnoscunt Romani pontifices qui anulum suum signatorium, anulum piscatoris vocant in omnibus rescriptis, et pro simbolo sigilli Petrum piscantem gerunt. Notissimus etiam est hoc nomine Viligisus archiepiscopus Moguntinus qui idcirco rotam in suis ædibus pingi eum hac inscriptione voluit : *Viligise memento qui sis et qui fueris,* eandemque in insignibus suis prætulit quod patre rhedario natus esset, teste Mauclero. Ad hunc modum intueri possunt clerici in dignitate constituti patriarchæ sui retia justa apostolicum monitum : *Videte vocationem vestram, quia non multi nobiles, etc. sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus.*

VI. Ut doceret in electionibus præsertim ecclesiasticis non habendam rationem generis, opum, formæ, sanguinis : ideoque Petrum etiam ad apicem summi pontificatus extulit, non Jacobum aut Joannem qui tamen ejus propinqui erant. Quod hodie sæpe non observatur. Unde fertur rex Ludovicus, uti refert. Holcot, in lib. Sapientiæ, virum quemdam interrogasse, cur non fierent mode miracula per episcopos et prælatos, sicut olim fiebant in Ecclesia primitiva ? Cui respondit alter causam esse quod olim electiones episcoporum et prælatorum per Spiritum sanctum, cujus est facere miracula, fieri solerent, modo autem fierent per reges et principes, qui facere miracula nequeunt. Sanctus Udalricus ut quietus sibi et Deo vocare posset eo adlaboravit ut Adalberonem nepotem ex sorore, ad episcopatum suum promoveret. Qui tamen ingratus avunculo insolenter se gerebat. Propter quod factum, S. Udalricus pœnitens, quadam vice veluti de somno evigilans dicebat coram aliis : Heu ! Heu ! quod illum Adalberonem nepotem meum unquam vidi, quia pro eo, quod ei consentiebam secundum suum desiderium, nolunt me impunitum in suum recipere consortium, Berno abb. Augiensis, in vita.

VII. Ut ostenderet munus apostolicum et pastorum esse laboriosum, forti indigere dorso ac multo labore, quod nammodum et munus piscatorum ; nec ad quietem, sed potius ad laborem, vocatos esse sacerdotes magnamque illis habendam esse patientiam. Quis autem nescit, quan-

tum laboris sustineant piscatores, quantum habeant patientiam cum piscantur ? Nonne totos dies et noctes laborant et patienter expectant, donec aliquid capiant ? Nonne ipsi aliis sedentibus et dormientibus, in navi vigilant et remos tractant ? Idem etiam clericis, pastoribus præsertim incumbit onus ; et qui se ab eo expedire machinantur, vocationi suæ adversantur. Hinc Timotheo episcopo scribit apostolus : *Tu vero vigila, in omnibus labora,* (Græce, mala sustine, et obdura) quasi diceret : Esto, alii dormiant, vel fabulas tractent, tu vero vigila, II. Tim. IV. Beato Petro Damiani, quod cardinalatu et episcopatu Ostiensi relicto ad monasterii quietem se reciperet, exprobrabat Hildebrandus cardinalis, qui postea pontifex Gregorius VII. creatus et dictus est. Ecce Petrus, inquit, latibulum quærit, et sub colore pœnitentiæ Romæ subterfugere quærit accessum : lucrari machinatur de inobedientia otium, et cæteris in bella ruentibus hic sibi degeneris umbra quærit opacum. Cui respondit Petrus, sibi pro refutato episcopatu injunctam a pontifice fuisse centum annorum pœnitentiam, ita ut quotidie recitando psalmum Miserere, faceret interim disciplinam, idque per annos centum, si tot viveret : quam pœnitentiam ipse uno anno redemit, faciendo nimirum quotidie centies dictam disciplinam : uti scribit ipse, in epist. sua X. ad Alexandrum pontificem, et Hildebrandum card. et alibi. Expendant parumper clerici, quid laborum detulerint apostoli in disseminando per orbem evangelio : quantum item successores eorum sancti patres, Athanasius in Alexandria, Chrysostomus Constantinopoli, Basilius Cæsareæ, Ambrosius Mediolani, Augustinus in tota Africa, Gregorius Romæ, etc. Hi illorum prodromi et præcessores quid aliud eis occurrunt, nisi aut strenue laborandum, aut deponendum, quod gerunt officium ? Meminerint, sacerdotibus in veteri lege decretum fuisse a Deo pectusculum et armum, Exod. XXIX. ut scirent se Deo debere reddere pectus suum et armum, id est, brachium dextrum, fortissime sustinendo omnia adversa, et labores adeundo pro creditis sibi ovibus. Talis piscator fuit S. Silverius papa et martyr, qui ab Augusta Eutychna per Belisarium ejectus in Pontiam insulam, ita scribit ad Amatorem episcopum : *Sustento, pane tribulationis, et aqua angustiae, nec tamen dimisi aut dimitto officium meum.* Talis S. Joannes Chrys. qui in exilium ejectus, quod vitia libere carpisset, cum Isaurorum incursus, febrem validam, nocturni itineris pericula sustineret, scripsit epist. CIII. *Nec obsidione, nec latronum incurisibus, nec loci solitudine, nec sexcentarum adversorum casuum turba dejicior aut conturbor.* Talis S.

Carolus Borromæus, qui ab archiepiscopo Valentino monitus ut sibi parceret, nec laboribus nimis vitam abbreviaret, rescripsit: « Nimis delicti hominis necdum episcopi est, a muneris sui, quo nullum amplius, nullum præstantius est, administratione et cura, aut valetudinis studio retardari, aut mortis formidine deterri, » ut in ejus vita, lib. VIII. cap. XXI. Omnes vero hoc in genere excellit S. Andreas, qui in ipsa cruce bido pendens non destitit prædicare populo, quamdiu spiritum habuit, etc.

CONCIO IV.

HERESIARCHÆ NOSTRI TEMPORIS EORUMQUE SECTATORES CUJUSMODI SINT PISCATORES.

I. Piscati sunt in cælo. — II. Piscati sunt in ss. bibliis. — III. Piscati sunt in Ecclesia. — IV. Piscati sunt in templis. — V. Piscati in monasteriis. — VI. Piscati in imperio et republica. — VII. Piscati in purgatorio. — VIII. Piscati in inferno.

THEMA.

Faciunt vos fieri piscatores hominum. Matth. IV.

Videtur, auditores Germaniæ nostræ contigisse, quod olim, tempore Habacuc contigit Judæis, Habacuc, cap. I. qui cum adeo depravati essent, ut nullus pene inter ipsos juri et rationi locus esset, decrevit Deus immittere eis gentem Chaldæorum velocissimam, quæ veluti piscator eos caperet et puniret. De ea enim vel ejus rege Nabuchodonosor dicitur Habac. I. *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua et congregavit in rete suam, q. d. cepit omnes vicinas gentes, indeque mire exultans immolavit reti suo, id est, armis et industriæ suæ, id acceptum tulit.* Quibus minis territus Habacuc Deum precari cepit, ut suum populum quasi filium virga corripere, non gladio interimeret eo quod minores essent peccata Judæorum sceleribus Chaldæorum: idque non solum obtinuit, sed præterea intellexit exterminandos esse Chaldæos, postquam ab illorum tyrannide Judæi puniti fuerint, Habac. II. Quid aliud evenit patriæ nostræ, quando ad exortum Lutheri pietatem et justitiam susque deque habuit? Tunc enim immisit Deus in eam, gentem velocem et piscatores improbos, Lutherum, Calvinum, et similes, qui brevi sane tempore totam pene Germaniam cum vicinis terris hamo suo levarunt, et in rete suam traxerunt. De quo et mirum in modum exultarunt olim et exultant hodie eorum sectatores, jactantes pro miraculo, quod tam brevi tempore maxima pars Germaniæ ab ipsis inescata et capta sit: quod sane aliud non est, quam immolare sagenæ et reti suo: at vero nunc videmus deprimi paulatim hanc illorum superbiam et flagellum a dorsis filiorum

transferri in dorsa hostium. Superest nunc videamus quale hi piscatores fuerint.

I. Misserunt hamum suum in cælum et inde abstraxerunt primo, Deo mysterium SS. Trinitatis. Etenim Lutherus ex epistola Joannis sustulit illud: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt, ut ex litanis illud erasit: Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.* Displicet etiam Calvino nomen Trinitatis, nec alio vult invocandum esse Deum, quam Patris nomine. Unde sequitur Filium et Spiritum sanctum non esse Deum, quandoquidem invocari non debent.

Secundo, Christo ademit Calvinus divinitatem et gloriam, dum asseruit ejus verba: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me,* fuisse verba desperationis, sensisse eum dolores inferni, etc.

Tertio, sanctis abstrahunt cultum, invocationem et festivitates: Calvinistæ Angli natalem Deiparæ sustulerunt, e contra natalem Elisabethæ reginæ suæ solemnem apparatu celebrarunt; in suis etiam synodis egerunt, ne Christi etiam natiuitas esset festiva, ut ex ea patet quam anno 1574, habuerunt Dordraci, can. III.

II. Miserunt hamum in S. biblia de cælo nobis tradita, et inde expicati sunt primo, integros aliquot libros, qui scilicet contra ipsos faciunt. Lutherus rejecit libros Macchabæorum, ut purgatorium et orationes pro defunctis, quæ in libris illis adstruuntur, exsibilaret: epistolam item Jacobi, quam *straminicam* vocat, quia nimirum illa fidem solam respuit, opera cum fide requirit: epistolam Judæ, quæ similiter rejicit solam fidem et damnat eos, qui nullum nisi infidelitatis peccatum agnoscunt: epistolam item ad Hebræos. Apocalypsin quoque, quam Calvinus rejecit, posteriores tamen Calvinistæ receperunt: ut inde probarent Romam esse Babylonem, et papam antichristum; sed perperam et ridicule. Taceo alios quosdam libros, quibus vel modicam vel nullam tripuunt fidem, ut liber Tobie, Judith, Esther, Ecclesiastici, quos Judæorum fragmenta, comœdias et tragœdias appellat Lutherus.

Secundo, expiscantur inde sententias et voces, quæ ipsis adversantur vel addunt pro suo libitu, vel depravant, v. g. ad Rom. III. addidit vocem *solam: Arbitramur hominem justificari per fidem.* Contra II. Petr. I. erasit bona opera, ubi dicitur: *Satagite ut per bona opera certam vestram, etc.* Ex symbolo apostolico sustulit vocem *catholicam Ecclesiam*, et reposuit *christianam.*

Tertio, adimunt eis verum sensum et affigunt alium, v. g. quod dicitur I. Cor. VII. *Si dormierit vir ejus, liberata est,* traxit Lutherus ad

suam cupiditatem, quando mulierculæ alicui persuadere tentavit, dormientie marito posse eam sibi copulari. Plena sunt hæreticorum biblia hujusmodi depravationibus, ut a multis eis ostensum, imo a seipsis, dum toties mutarunt versiones et glossas suas. Non curarunt illi, qui dixerit Deus Jer. XXIII. *Ecce ego ad prophetas, qui furantur verba mea.* Hoc enim faciunt qui verba Salvatoris ad suas hæreses torquent, ait S. Hieron. ibid.

III. Misserunt hamum in Ecclesiam, et inde eripuerunt primo, bona ecclesiastica, episcopatus, abbatias, monasteria, canonicatus, parochias, una cum fundis redditibus et juribus suis. Hanc enim potestatem Lutherus principibus dedit, qui librum de fisco edidit, in quo universum mundum hortatur, ut omnibus machinis non monasteria tantum, sed universam Ecclesiam evertant. Illos in libro, quem scripsit contra statum ecclesiasticum, veros Dei appellat filios, qui omnes suas vires ad episcopum subvertendum imperium conferunt. Quamquam postea lamentatus est hac de re ipsemet Lutherus (ut videre est sympos. aurifabrics, IV. l. DLXLVI.) videns ex redditibus illis ad se et symmistas suos parum aut nihil accedere; sed nimirum ignem, quem accendit, tarde nimis extinguere voluit. Lamentatus est et Lutheri filius, qui cum in familia alicujus principis, qui a catholica fide defecerat, versaretur, et tamquam non degener parentis filius ad cantharos sæpius, quam ad libros vigilaret, reprehensus ob eam bibacitatem a principe, id graviter tulit, suisque compotioribus sæpe quæstus est; suum parentem (Martinum Lutherum) illi principi tot spolia clericorum, tot aureos argenteosque calices, tam ampla terrarum latifundia per suam doctrinam comparasse, et sibi non permitti, ut nonnunquam bono haustu suum animum exhilaret. Refert. P. Laur. Forer. in Luthere thaumaturgo, arg. VI.

Secundo, innumeras animas, civitates, ducatus, nationes et regna. His enim tot capiendis piscibus suam cuique placitam proposuerunt escam, principibus bona ecclesiastica, religiosi nuptias, populo libertatem epicuream a legibus ecclesiasticis, rigore penitentiae, etc. quo modo non arriperent hamum tam opiparum, pisces præsertim stulti? Sic falco vincendum se aucupi præbet, ut cibum consequatur, et bestia etiam maxime feræ facile cicurantur ab iis, qui partem prædæ in venatione captæ iis faciunt. Promoverunt interim etiam egregie res Turcarum, ut Transylvaniam et Hungariam pene totam amitteremus, dum suis seditionibus imperium turbarent, et imperatori contra Turcam auxilium negarunt, imo ipsimet arma intulerunt, et titulum imperia-

lem detraxerunt. Notus eo nomine Saxo, qui laudatissimum imperatorem Carolum V. nonnisi Carolum Gandaviensem vocabat.

Tertio, pietatem et virtutum exercitia, bona opera, sanctiones ecclesiasticas, sacramentorum usum, consilia evangelica et vota omnia, etc. Pudet quidem nunc hæreticos hujus suæ doctrinæ, ideoque admittunt et commendant bona opera; interim tamen asserunt non esse meritoria apud Deum, sed esse peccata mortalia, et ex sua natura digna æternis flammis; quod aliud non est, quam si circumforaneus palam proclamaret suum unguentum nihil prodesse, magnos dolores excitare, dignum rogo et patibulo esse, nihilominus tamen hortaretur ut omnes illud emerent. Quis hunc impostorem non diceret?

IV. Miserunt hamum in aedes sacras, et inde expiscati sunt: primo, sacramenta pleraque. Ut enim Holofernes incidit aquæ ductum et fontes Bethulæ, ut siti interirent cives, Judith, VII. ita dæmon per hæreticos eripuit Ecclesiæ aquæ ductum divinatorum sacramentorum; Calvino, eucharistia veram Christi Domini carnem et sanguinem non continet, sed cisterna vacua est, fons aridus; Luthero, ante sumptionem similiter sacri nihil habet, puteus tantum inanis est. In ipsa vero sumptione adesse debet inobedientia, Ecclesiæque Christi unam laico speciem porrigentis contemptus, ut omnis illico e fonte isto humor evanescat, sitique pereant natu etiam majores viri et feminae, juvenes et senes. Quid cætera memorem? Nulli celestis aquæ a confirmatione, pœnitentia, ordine, matrimonio, extrema unctione ductus sunt, ut omne hominum genus, parvos et magnos, nocentes et innocentes, ecclesiasticos et laicos, cælibes et maritos, valentes et ægrotantes aridissima sitis premat, conficiat et exanimet.

Secundo, sacramentalia, e quibus velut fonticulis devotionem suam hauriebant Christiani; sustulerunt enim non modo missæ sacrificium, sed et omnes sacras cæremonias, sacra vasa et vestes, reliquias, indulgentias, ex parte etiam imagines (uti Calvinistæ) rerum benedicendarum usum, etc. quamquam aliqui Lutherani, quos Intermistas vocant, horum aliqua retinuerunt, sed nullo fructu putamina et corticem servarunt, nucleum abjecerunt.

Tertio, templorum ornatum, et monumenta pietatis omnia: ea enim vel omnino despoliarunt, uti Calvinistæ, vel obsolescere sinunt, uti Lutherani.

V. Miserunt hamum in monasteria et inde extraxerunt monachos et moniales, uti imprimis Lutherus pellicem suam Catharinam de Boren,

una cum aliis octo nobili familia natis puellis a monasterio Nimicensi. De qua re quantum orbis totus catholicus erubuit, tantum Lutherus gloriatus est, impudenter jactans virginem illam e mediis Satanæ faucibus a se ereptam. Sane de hoc scribens ad Lutherum Angliæ rex Henricus VIII. inter cætera ait: « Quale flagitum si designasses olim apud Romanos ethnicos, et illa (Catharina) terram viva subiisset, et tu ad mortem usque verberibus esses mulctatus. » Et mox: « Denique quod omnium maxime detestandum, te cum deberent tam execrandi facinoris pudor et dolor obruere, pœnitentiæ loco præ te fers miser impudentem gloriam, tam longe fugiens implorationem veniæ, ut etiam, in sceleris tui exemplum passim pseudoreligiosos alios litteris ac fœbris provocas. » Hæc Henricus, cum adhuc deensor fidei appellari meruit. Ubi classicum hoc recinit Lutherus, scalæ monasteriis admote sunt. In tibi pisces, en piscatorem. Bene S. Bernardus dixit: *Monasteria sunt vivaria, in quæ conjicit Christus, pisces, quos trahit ex mari mundi.* Ut ergo pisces ad aquam, ita monarchi ad monasteria spectant. Et sicut pisci in terram extracto bene esse non potest, palpitat, saltat, tabescit; ita neque illis, qui de monasteriis profugerunt. Testis Lutheri pellex, quæ in suo nefando conjugio sæpe multis horis continuo ploravit. Testis ipse Lutherus qui ad opprimendam conscientiæ objurgationem assiduus erat in popinis: sed postea ab eadem acrius objurgabatur.

VI. Miserunt hamum in imperium, rempublicam indeque expiscati sunt, primo, pacem et prosperitatem: Lutherus suis scriptis et concionibus seditiones excitavit, et populum in principes armavit, evangelizans eis omnimodam libertatem et exemptionem ab omnibus legibus et magistratibus. In colloquio Wormatiensi præsentem imperatorem in hæc verba erupit: *Non veni pacem mittere, sed gladium;* longe alio sensu, quam hoc idem Christus dixerit; hic enim suos non accinxerit gladio, ut eo Ecclesiam propagarent, sed patientia, ut tyrannorum gladios fortiter exciperent. Deinde, notissimam illam rusticorum seditionem in principes accendit: videns vero incendium id latissime grassari, et principes viribus auctos rusticis prevaliturus, veritus ne in caput suum belli eventus recideret, stylum vertit, et ad eos trucidandos hortatus est principes. Nimirum rumores tantum et bellum optabat, victoriam neutri parti, quo suum interim venenum commodius propagaret: unde libello in rusticos ait: *Utrumque sane timui, si prævalerunt rustici, diabolus foret abbas, si vero prævalerent ejusmodi tyranni, mater ejus foret abbatissa.* Vetuit idem

Turcis resistere, satius inquitur Turcis subesse, quam catholicis, quod illi religionem cuique liberam facerent, hi nequaquam. Unde Solimanus non parum debere Lutheri sæpe agnovit. Quid turbarum in Gallia Calvini doctrina concitarit, nemo est qui nesciat. Anno siquidem 1562, initium sæviendi in Aquitania cœpit, late vagatus furor. Parisiis in obvios quosque gladiis sevi-tium, sacerdotes passim ad ipsas aras mactabantur, templa sanguine fluebant, statuæ sanctorum confractæ, ossa Francis regis II. exusta, imo et S. Hilarii, Irenæi, et Martini sanctissimorum præsulum ossa tumulis eruta, et flammis data viderunt Lugdunenses et Turonenses. Aurelia cum ducatu suo quid non pertulit? Non ætati, non sexui paritum, senes cum ludibrio et tormentis enecti, tenera ætas cum turribus, quas præsidio quærebant, incensa, ad martyrum ossa prodenda homines tormentis adacti, mutata in bombardas campanæ, baptisteria in cloacas versa, putei de catholicis repleti, ventres excisi. Quæ tragædia peracta, cum Huguenottæ a catholicis tandem repressi et dignis pœnis mulctati essent, inde martyres apud suos audire, cœperunt, crudelissimi nebulones, P. Ad. Conzen, libro IX. polit. cap. XXI.

Secundo, libertatem animorum ac religionis, quam tamen ipsi maxime asserere conati sunt, in Gallia, Belgio, Anglia, etc. ejusque gratia contra orthodoxos arma sumpserunt, titulum belli præferentes, libertatem conscientiæ. At ubi rerum potiti sunt, eandem, pro qua tot annis pugnarunt tantumque sanguinis fuderunt, everterunt, quin et seipsos ea privarunt. Nec enim permittunt sibi vel aliis libertatem religionis et fidei sed omnes cogunt esse Protestantæ vel Calvinistæ. Hæcine est libertas quæ sita et jurata?

Tertio, scientias et studia litterarum. Has enim e medio sublaturus Lutherus, debacchatus est in academias, easque abolendas scripsit ad nobilitatem Germaniæ anno 1520. nec alium librum legi præter biblia voluit. Quod arripuerunt imprimis professores duo, Philippus Melancthon, ad pistrinum abiens, et Caroltadius ad stivam pergens, qui nec aliter, quam magister Andres vocari voluit. Secuti multi scholarium Wittebergensium libros suos Vulcano consecrarunt.

VII. Immiserunt hamum etiam in purgatorium, et inde suffurati sunt fidelibus animabus subsidia et suffragia, pro iis ab Ecclesia fieri consueta, quia sustulerunt et purgatorium, tanto veterum et totius Ecclesiæ consensu stabilitum. Eliminaverunt ergo missas pro et a fidelibus tantis impendiis fundatas, tricesimos, anniversarios, elemosynas huic fini in perpetuum destinatas, preces

pro iisdem fundi solitas. Desinat igitur S. Cyprianus sacrificia offerre pro Celerina, Laurentio et Ignatio, quæ pro iis aliquin semper annuatim offerre consueverat, ut testatur ipse lib. IV. epist. V. desinat S. Augustinus supplicationes generales facere, et commendare Ecclesiæ faciendas pro defunctis illis, quibus desunt parentes, aut filii, quicumque cognati vel amici, solaque communis mater Ecclesia superet, l. de cura pro mortuis, cap. IV. desinat S. Monica mater Augustini, e vixis excessura dicerere filiis suis: *Ponite hoc corpus ubicumque, tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis meis, ubi, fuerit confess. l. VI. c. XI.* cesset Augustinus pro eadem matre sua prolixius orare et fidelium implorare preces verbis illis: « Inspira Domine Deus meus, inspira servis tuis fratibus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus et voce et corde et litteris servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quodam ejus conjugæ, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, ibidem, c. ult. decinat idem sanctus scribere, piorum animas defunctorum separatas non esse ab Ecclesia Christi militante, siquidem pro iis ad altare Dei memoria fieri soleat, lib. XX. de civit. c. IX. Itē nunc o animæ et in piaculari vestro igne debitas vobis pœnas ad novissimum quadrantem exsolvite. Nullum vobis amplius ab Ecclesia subsidium, nullum e vestra liberalitate in pauperes et servos Christi effusa emolumentum vobis sperandum, Piscatores enim isti totum hoc in hamo sublevarunt, totum in rete suam traxerunt et vobis abstraxerunt.

VIII. Miserunt denique hamum in ipsum etiam infernum. Et quid inde extraxerunt? Primo, dogmata jam olim ab Ecclesia damnata et ad ortum ablegata. Nimirum sicut obsessa civitas ad extremas famis angustias redacta, omnes cibos tam malos quam bonos absumit: sic Lutherus et Calvinus maluerunt quasvis hæreses potius in se admittere, quam Ecclesiæ se submittere. Nec vero hujus temeritatis puduit Lutherum; sed scripsit insuper, si quis ipsius hæreses refutare aggressus fuerit, se novam interea procusurum, in l. de captiv. Babylon. edito Wittebergæ, anno 1551. Nimirum velut alter Constantinus Copronymus sordibus perliniri, sordes olere gaudebat, Pauca dicamus: cum Simone hæreticorum principe, liberum arbitrium negat Calvinus et Lutherus; cum Petro Abailardo dicunt omnia absoluta necessitate fieri, adeoque Deum peccati auctorem esse; cum Joviniano jejunium nihil valere, ciborum differentiam non faciendam, conjugio non præstare virginitatem; cum Manichæis aquam

baptismi non prodesse; cum Wiclefistis missam abrogandam; cum Berengario transsubstantiationem in eucharistia nullam esse; cum Græcis hæreticis et schismaticis utramque eucharistiæ speciem requirunt, pontificem non agnoscunt, etc.

Secundo, ipsas inferni pœnas et gehennæ ignem. Docet enim Calvinus infernum ejusque cruciatus non esse aliud, quam apprehensionem, qua reprobi sibi imaginantur, Deum esse sibi iratum. Scilicet hoc valde cruciat damnatos; qui nisi pœnas alias sentirent, hanc sane nihili facerent. Multi etiam Lutherorum veros et locales inferos negant. Itaque etiam Luciferi regnum suum adimunt. Sed nimirum hæc est fraus diaboli, quia obtinet ut homines sine metu peccent et securius damnentur.

Vidimus Chaldæos, vidimus piscatores, undique piscantes, imo rapientes, sed vidimus insuper immolantes saginæ suæ, audimus gloriantes, quod tantam piscium prædam tam brevi tempore ceperint. Sed vanissima est hæc gloria. Quid enim mirum fuit pisces ventri deditos ab amaris pœnitentiæ aquis, ad dulces voluptatis trahi, talibus præsertim illecebris ad ejusque gustum paratis, et illo tempore deplorato? Sane hic verificatum est illud Sapientis: *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in temporis malo,* Eccles. IX. Quis enim neget tempus malum fuisse tempus emergentis Lutheri, quando pauci boni et vigiles prælati, pauci docti viri erant? Quid mirum fraudibus et armis subigere stultam plebem? Taceo rationes alias, quæ miraculum hoc enervant. Superes nunc ut cum Habacuc Deum serio precemur, ut tandem aliquando piscatores isto noxios jubeat facessere, et quandoquidem ipsorum scelera multis partibus superant catholicorum vitia; flagella sua a dorso nostro in ipsorum dorsa transferat, quod ita tamen optamus, ut inde emendati sapiant nobiscum et uno ore honorificent Deum, etc.

CONCIO V.

QUA RATIONE OMNES CHRISTIANI SEQUI POSSINT
AC DEBEANT CHRISTUM.

- I. Sequendus intellectu. — II. Sequendus voluntate.
— III. Moribus et conversatione.

THEMA.

Venite post me. Matth. IV.

Cogitabit forsitan, auditores, hodiernum evangelium nihil ad nos spectare, siquidem apostolos tantum; et qui perfectioni studere volunt, concernere videtur illa Domini vocatio: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Nos